

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati
Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos
centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

In Passionem D.N. Iesu Christi Homeliae quinquaginta sex, Theorematum
viginti octo, totidemque sermones. In Monotesseron Praeterea Eivsdem
Passionis Dominicae, iuxta Euangelistarum & historiae fidem, Elucidatio.

Conciones ad Haec Paraeneticae in praecipuis anni & Sanctorum
festiuitatibus habitae

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXVIIII

Iesus ad mortem demnatur Art. & Ho. XXXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47113](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-47113)

Inuidia lu-
daorum cō-
tra Christū
quanta.

ditionem hactenus semper inuiti tolerassent, restitissentq; vbi cunq; potue-
runt, tamen modo ne Christus rex vocetur Iudæorum, vltro se se subiiciunt
Cæsari, omni se se libertate abdicantes. Malunt enim perpetuæ addicti esse ser-
uituti, quam suam nō statuere accusationem calumniamq; contra Christum.
Cæsar is eligunt iugum, hunc sibi vnum confitentur dominum: Christi abne-
gant imperium, quo ad sententiam dandam contra Christum, Pilatum vrge-
ant, nisi maluerit apud Cæsarem infidelis accusari, atque, quod eiusdem non
zelatus fuerit & honorem & præceptum, apud eundem periclitari. Sedente
itaque pro tribunali Pilato, misit ad Pilatum vxor sua, præmonens virum, ne
super Iesum mortis ferret sententiam, quandoquidem illius gratia eodem
mane multa per visum passa fuisset. Diabolus nimirum penitentem coepit, quod
Iudæos in Christi necem instigasset, sentiens ipsum esse Messiam, per quem su-
truncaretur tyrannus, tollerenturq; sibi spolia inferni. Ideo quomodo per
mulierem induxerat nos vniuersos in omne malum, ita nunc à generali
demptione nos omnes impedire voluit per mulierem.

Judicare quando, cui, quosq; liceat.

Judicare vti
debeat ho-
mo semet-
ipsum.

I. Cor. II.

VIdens piissimum Dominum, aliquando iudicem iustum terribilem
rediturum, stare ante tribunal iudicis iudicandum: compatere ei, &
ingemisce in teipso, quod peccata tua in hanc illum miseriam perduxer-
rant. Propter tua enim peccata stat verecundus ante iudicem iudicandus. No-
li igitur tibipsi cum deliqueris, parcere. Sed severè dijudica temetipsum. Nō
abire tua finas peccata insulta. Expende vilitatem, malitiam, & ingratitudi-
nem tuam. Irascere tibi, quod tam misericordi, tamq; bono ac optimo Deo
tantas ingeris contumelias, toties illum spernis. Vide quam procluvis sis ad
malum, quam inconstans, quam fragilis, quamq; rotus miser & miserabilis.
Si (inquit Paulus) nosipso dijudicaremus, non ritique dijudicaremur. Jam verò non
nosipso dijudicamus, sed proximum, in illius defectus oculati, in nostros
talpei: quare graue admodum à Domino iudicium expectamus. Non ergo
nos excusemus, sed nosipso iudicemus, iudicariq; nos patiamur, ut à delictu
hic nostris purgemur.

I E S V S A D M O R T E M D A M N A T V R.

Articulus XXXVI.

Matth. 27.

Marc. 15.
Lucæ 23.

Matth. 27.

VIdens autem Pilatus, quia nihil proficeret, sed magis
multus fieret, accepta aqua, lauit manus coram populo,
dicens: Innocens ego sum, à sanguine iusti huius. Vos
videritis. Et respondens vniuersus populus, dixit: San-
guis citius super nos, & super filios nostros. Tunc Pilatus volens po-
pulo satisfacere, adiudicauit fieri petitionem eorum. Dimisit autē
illis Barabam, qui propter homicidium & seditionem missus fue-
rat in carcerem, quem petebant: Iesum vero flagellatum tradidit
voluntati eorum, ut crucifigeretur.

HOMI.

HOMILIA XXXVI.

VIdit Pilatus quod gratis pro Iesu laboraret liberationem, quodq; labo-
rando non solum nihil proficeret, verum etiam huius occasione in po-
pulo tumultus fieret: atque demum ipse coram Cæsare, si accusaretur,
periclitaretur. Existimans autem & paruum piaculum, quod nulla vltio, nul-
la censura sequeretur, si Iesus quamvis innocens, occideretur, cum perso-
na esset vilis ac despabilis, de qua nemo interrogaret: accepta aqua lauit ma-
nus, iterum palam testatus Iesu innocentiam simulq; suam, vt qui cogeretur
ad sententiam inuitus in Iesum ferendam, dicens: *Innocens ego sum à sanguine iusti huīus.* Verum Iudæi, quamvis Iudex paganus innocentem Iesu mortem agnosceret, quamvis Christo inferre eandem formidaret, vt pote qui Christū iustum asseuerabat & insontem, nihilo tamen Iudæi inde moti, tam libere,
quam temerè clamauerunt: *Sanguis eius super nos & super filios nostros.* Ma-
nuum lotionem nititur excusare se Pilatus, quo se innocentem testetur: ideo e-
nim lauit manus, licet nihil illi hæc lotio profuerit. Neque enim agere quic-
quam debait contra conscientiam suam. Nec propterea quia dicit: *Vos videritis, (hoc est, vos Iudæi hunc à vobis damnatum mihi obtulistiſ. Iuxta allegata
vestra, non iuxta meam sententiam, ago iudicem.*

Vobis ergo, non mihi eius damnatio in iusta imputetur) ipse Pilatus sit in-
nocens, quæcumque tenens pronunciat ipse innocentem, tandem ad mor-
tem damnat. Porro Iudæi dum in medijs sunt tenebris, prorsus nihil vident
periculi sibi fore, si innocentem perimant. Ideo exclamant: *Sanguis eius super
nos, &c.* Verbū erat saluberrimum, si bona fuisse intentione prolatum. Sanguis Chri-
Ita enim nos oramus omnes, vt Christi sit super nos sanguis, hoc est, vt san-
guinis Christi, virtutisq; ac efficaciz eiudem efficaciam particeps. Iudei ve-
rò non fructum neq; medelam, sed vltionem effusi sanguinis Christi sibi im-
precantur: nec sibi tantum, sed (quod crudelissimum est) etiam filiis suis. Quod
ita, quomodo precati sunt, vſq; in hodiernum apud illos diem manet. Huius
enim tam culpa quam vltio sanguinis semper illis inhæret. Itaq; Pilatus Iu-
dæorum precibus atq; clamoribus cedens, quibus noluit displicere, relicta iu-
stitia, relicta æquitate, oblitus prolati sapientis sapienti testimonij sui pro Iesu
innocentia, magis timens Cæsarem quam Deum, & veritus ne apud Cæsarem
à Iudæis accusaretur tanquam rebellis, suspicans præterea nil mali, si pau-
perem hominem, licet innocentem, cuius nemo videretur amicus pro quo
nemo qui zelaretur, aut qui Iudæis contradiceret, morti traderet. Adiu-
dicauit igitur scribi petitionem eorum, hoc est, sententia dissimilata statuit, pro-
nunciauitq; Iesum (vraiebat) procula affectati regni crucifigendum. Senten-
tia imp̄issima atque crudelissima contra innocentem, contra salvatorem &
redemptorem mundi, contra Christum Deum & Dominum nostrum. Iesum
itaq; tradidit voluntati eorum. Hæc autem erat Iudæorum voluntas, vt Iesus
crucifigeretur, cui annuit Pilatus. In Euangelio Nicodemi legitur sententia
hæc à Pilato dictata, Gens tua comprobavit te regem, propter ea præcipio te
primum flagellari secundum principum statuta, deinde in cruce levari. O lu-
gubre sententiam, quam Dominus verecundus & absq; contradictione hu-
miliiter accepit, ac si de omnibus in quibus fuerat accusatus, esset conuictus ac

*Sententia
Pilati contra
Iesum dicta-
ta quæ.*

reus. Heu cuiusmodi cadit tristitia super cor virginem matris. Heu quis ibi tunc erat luctus amicorum, flentium super innocentissima morte Iesu prædilecti sui magistri. E diverso autem inimicis Christi ingens erat latitia, quod voluntatem suam obtinuerunt in Christum. Porro Domino Iesu utrobique dolor & compasio. Compatiebatur enim non minus inimicis quam amicis.

Ambitio in que mala præcipiteet, placere proximo quando licitum, quandoq; sit illicitum.

Ambitio in
quanta ma-
la præcipitet

Admonemur hic exemplo Pilati, quam fugere debeamus ambitionem, qua in quanta præcipiter mala, in hoc præside videmus Pilato. Hic enim quamvis alioqui vir videatur iustus atque suo officio idoneus, quia tamen officium & honorem præstulit sinceritati, in graue hoc crimen lapsus est, vt Iesum quem innocentem sciebat, damnaret iniuste ad mortem. Multum diuq; pro Christi laborauerat tutanda innocentia. At quando eidem minabatur de ira Cæsaris, qua (nisi Iudeis consentiret) ab officio deiiceretur, conscientiam deseruit propriam, consentiens iniquitati. Secundò h[ic] disce, ne cari pendi, ne magni æstimari, neve ab hominibus habere optes fauorem quandoquidem Saluator tuus, mortis propter te subit sententiam. Hic enim cum ante tribunal iudicatus patitur se iudicari, atq; iuxta formam aliquam iudicij damnari, haberet ut sceleratus morte dignus, quid tu d[icit] te flagitas bene sentiri? aut cur tristaris, si de te male sentiatur? Dicis fortasse: Ego id defidero, ne proximum scandalizem. Certè charitas id fraterna exigit: vt (quantum in te est) nemini des vel delicti vel turbationis occasionem. Ita igitur viue, ne scienter scandalum præbeas, hoc est, ne agas aut prætermittas quippiam, quo proximo occasionem tribuas delinquendi. Non tamen propterea est necessarium, vt eidem placere affectes, nisi hoc fieret ex charitate, non propter te, sed propter Deum aut propter proximum. Vtrunque enim monens Apostolus: si, inquit, hominibus placet, i. placere affectarem, Christi seruus non essem. Scriptum enim est: Dispergit Dominus off. eorum qui hominibus placent. Iterum autem alibi idem monet: Vnusquisque placeat fratri suo ad edificationem: hoc est, id est placere velit ut caueatur peccatum, serueretur charitas, promoueatq; gloria Christi. Sit Christus finis & causa, quare cupias placere homini, non ut ipsam placendi vanitatem, commodum vè aliud proprium queras. Tertio inspice quomodo Christus se habuerit iudicatus, condemnatusq; ad mortem, & mortis reus ab ijs, qui tunc aderant existimatus. Num ab uno ad alium discurrens, satagebat sepurgare, excusare atq; quam innocens foret, quantaq; iniuria esset damnatus, alijs referre (quomodo nos facere solemus) ne scandalizarentur in se, aut ne male sentirent de se atque de sua prædicatione? Haud quaque. Quomodo ergo fecit? Tacuit, & perinde ac si omnium esset reus, ne uno quidem verbo se excusat, purgauitvè: Hoc modo & nos faciamus: Si aliena malitia infamamur, si iudicamur, si damnamur quoque, præsertim cum malitia hominum aut temporum non recipit excusationem, sustineamus patienter omnia in silentio, & committamus Deo causam nostram: vt quomodo velit & possit, homines custodiat à scandallo. Nos enim sape putamus nos propterea sollicitos, ne proximi in nobis scandalizentur, cum coram Deo aliud inueniatur quod nos moueat, puta ne despiciamur, aut ne mali

Fauoré ho-
minum non
esse optan-
dum.

Charitas fra-
terna quid
requirat.

Placere vel-
le proximo
quando sit
laudabile &
quando vi-
tuperabile.
Galat 1.
Psalms 52.
Romans 15.

Tacitorni-
tas Christi
quomodo
imitanda.